



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CXLIX. Der Magistrat der Neustadt Brandenburg macht einen Vertrag mit dem Domcapitel über den Zehnten aus Planow für den Prediger daselbst, am 5. Juni 1307.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

**CXLVIII.** Markgraf Otto vereinigt das Domcapitel mit der Altstadt Brandenburg, indem er die Görnische Heide theilen läßt, am 23. Mai 1307.

Nos Otto, Dei gracia Brandenburgensis et de Lufatia Marchio, recognoscimus et ad universonum Christi fidelium notitiam, tenore presentium, publice volumus pervenire, quod dissensionis seu controversie materiam, inter honorabiles viros scilicet, dominos Johannem Prepositum, Priorem, totumque Capitulum Brandenburgensis ecclesie, parte ex una, et Burgenes universonos antique civitatis Brandenburg, parte ex altera, aliquandiu habitam sopire et ad amicabilis compositionis unionem reducere toto mentis desiderio cupientes; mericam infra eandem civitatem et curiam Gorne sitam, que hujusmodi dissensionis extitit origo, de nostro nostrorumque discretorum maturo consilio, duximus distinguendam, ad quod nostri fideles, videlicet, Conradus de Redere, Otto Marscalcus et Brofeko Magister Coquine, milites et Mathias de Bredow, tunc temporis advocatus accedentes ipsam mericam, prout eidem commisimus, equanimiter, ut magis videbatur competere, dividerunt, partem ipsius merice magis vicinam curie Gorne, predictis dominis, et magis propinquam antique civitati Brand. Burgenibus inibi tribuendo, Volentes etiam ut tollatur in posterum super isto quelibet materia questionis, partem sic distinctam, colliculis seu lapidibus, ut est consuetudinis, consignari. Et Nos Woldemarus eadem gratia predictorum dominiorum Marchio et Dominus, ordinationem hujusmodi gratam et ratam habentes, una cum predicto charissimo patris nostro Marchione Ottonis predictae merice distinctionem, per predictos nobis fideles, rationabiliter et rite factam, precipimus tam a predictis dominis quam Burgenibus, sub obtentu nostre gratie inviolabiliter observari. In cujus facti evidentiam firmiorem, presentes literas super eo confectas, tradidimus nostrorum sigillorum appensionibus roboratas. Adhibitis testibus idoneis videlicet nostris fidelibus, Ludolfo Seniore de Wedele et Henrico de Steghelitz nostre Curie Dapifero et supra scriptis, et aliis quam pluribus fide dignis. Datum Rathenowe Anno Domini millesimo trecentesimo septimo, in tertia feria ante Festum beati Urbani Episcopi et Martyris.

Nach Gercken, Staats-Historie von Brandenburg S. 522 — 524.

**CXLIX.** Der Magistrat der Neustadt Brandenburg macht einen Vertrag mit dem Domcapitel über den Zehnten aus Planow für den Prediger daselbst, am 5. Juni 1307.

— Noverint — universoni presentes et quos divina gratia futuros produxerit inesse, quod nos consules tam veteres quam recentes nove civitatis Brandenburg communi consensu et omnium nostrorum voluntate quandam fecimus transactionem decime predialis cum domino Johanne plebano ville Planowe nec non cum omnibus suis successoribus, plebanis predictae ville, ita quod nullus successorum suorum nec nos vel futuri successores nostri debeant nostrum solemne factum revocare, et hoc discernimus mediante consilio et auxilio honorabilium virorum reverendi patris et domini Johannis, prepositi, Walteri, prioris, totiusque capituli ecclesie Brandenburgensis fore factum sub hac forma: Nos itaque omnes agros dicte ville redegimus in sexdecim mansos sub quatuor prediis excolendos, de quibus ex jure devoluto tenebamur decimam messualem simul et minutam singulis annis plebano dicte ville Planowe persolvendam. Pro quibus decimis obligamus agricultores predictorum prediorum ad

tria talenta novorum denariorum bonorum et legalium in quolibet festo beati Michaelis annis singulis perfolvenda. Licet etiam predicti agri per incendia, gwerras sive rapinas seu quocunque alio modo defolatio fieri poterit, omnino maneant inculti, nihilominus obligamus nos et futuros successores nostros ad predictorum trium talentorum de fisco nostro seu eorum, qui post nos futuri sunt, propria manu perpetuis temporibus solutionem. Verum etiam plebanus dicte ville Planowe obtinebit in eadem villa curiam dotis et aream aliam, adherentem ipsi, cum prato uno libere et quiete, prout sui antecessores longe antea obtinuerunt vel possederunt. Adicimus insuper et obligati sumus nos agricultores de predictis allodiis custodi rerum ecclesie quolibet anno ad dimidium chorum siliginis aut perfolvendum pro custodie pretio eidem deputato. Item hortulani quicumque fuerint pro custodie pretio unum quartale siliginis annis singulis quilibet eorum custodi presentabit. Ne igitur hec transactio nostra aliquam possit temerariam inferre dubietatem, presentem paginam sigilli nostri munimine de certa nostra scientia fecimus roborari. Testes vero hujus transactionis sunt Hinricus, plebanus veteris civitatis, Arnoldus, plebanus nove civitatis Brandenburg, Hinricus camerarius, Nicolaus celerrarius, Hinricus de Gardeleve, magister structure, canonici ejusdem ecclesie Brandenburgensis Johannes de Monkeberge, senior, Rudolphus Monetarius, Henningus de Motelow, Martinus de Lubas, Conradus de Merica, Nicolaus de Lapidea Domo, cives nove civitatis Brandenburgenses et alii quam plures clerici et laici fide digni. Datum in urbe Brandenburg anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>. nonas Junii.

*Nach einem Transsumt aus der Urk. von 1342.*

**CL.** Papst Clemens V. giebt den Bischöfen von Brandenburg, Havelberg u. a. auf, dem Erzbischof Burchard zur Erlangung der Besitzungen behülflich zu sein, welche durch den Tod des Landgrafen Tizemann erledigt werden, am 23. März 1308.

Clemens Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Brandenburgensi, Misnensi, Numburgensi, Merseburgensi et Havelbergensi Episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus venerabilis frater noster Burchardus Archiepiscopus Magdeburgensis Metropolitanus vester pro recuperandis et defendendis bonis et juribus ecclesie sue, tam his que Ticemannus, Landgrafius Thuringie, ecclesie predictae vasallus, ab eadem ecclesia dum viveret retinebat, nunc devolutis ad eam pro eo quod idem Landgravius absque heredibus noscitur decessisse, quam aliis bonis que ad dictam ecclesiam per obitum, vasallorum ipsius absque heredibus decessentium devolvuntur, nec non pro recuperatione et defensione aliorum jurium et bonorum dicte ecclesie in quibus est eadem pene ecclesia collapsa nostro et aliorum indigeat auxilio et favore; nos attendentes quam conveniens sit et dignum quod membra capiti congrua cum expedit subventionem respondeant, fraternitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eidem Archiepiscopo per vos et homines vestros sic assistatis efficaciter in premissis auxiliis oportunis, cum ab eo super hoc fueritis requisiti, quod ipse vestro et aliorum cooperante favore bona et jura predicta recuperare valeat et tueri, vosque proinde preter divine gratie premium nostram benedictionem et gratiam uberius consequi valeatis. Datum Pitavris X. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

*Gercken, Stists-Historie von Brandenburg S. 524. Buchholz, Gesch. des Churm. Br. IV, 160.*